UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Canones sanctorum et venerandorum apostolorum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1733

Visual Library

[a] hi canones non obtinēt in Gallia *Imbert.3.Inſt.1.*

CANONES[a] SANCTORVM ET VENERANDORVM APOſtolorum.

Per Clementem à Petro apoſtolo Romæ ordinatum epiſcopum, in vnum congeſti.

Gregorio Haloandro [b] interprete.

[b] alia extat editio Canonum apud Photium & Balſamonē, huic in multis diſſimilis.

EPiſcopus à duobus aut tribus epiſcopis ordinator [c].

2 Presbyter ab vno epiſcopo ordinator [d], item diaconus, & reliqui clerici.

3 Si quis epiſcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alia [e] quæpiā, putà aut mel, aut lac, aut pro vino ſicerā [f], aut confecta quædam, aut aues, aut aliqua animalia, aut legumina ſupra altare obtulerit:[g] vt qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor: excepto nouo frumento, & vua oportuno tempore. Præterea licitum nō eſto aliud quippiam admouere ad altare, quàm oleum in candelabrum, & incenſum oblationis tempore.

[c] χειροτονοῦσιν. Balſamon hoc caput refert nō ad electionē epiſcopi, quę fiebat a populo per manuum eleuationem, ſed ad ordinationē quæ fit ab Antiſtitib. in eccleſia.

4 Omnium [h] aliorum pomorum primitiæ [i] epiſcopo & presbyteris domum mittuntor, nō ſuper altare. Manifeſtum eſt autē, quòd epiſcopus & presbyteri inter [k] diaconos & reliquos clericos eas diuidunt.

5 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, vxorem ſuam prætextu [l] religionis non abiicito: ſi abijcit, ſegregator a communione: ſi perſeuerat, deponitor.

6 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus ſeculares [m] curas non ſuſcipito: alioqui deponitor.[n]

7 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, ſanctum diem paſchæ ante [o] vernum æquinoctium cum Iudæis celebrauerit: deponitor.

[d] De ordinatione presbyteri & clerici.

[e] quarum rerum fiant oblationes.

8 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quicumque ex ſacerdotali conſortio, oblatione facta, non [p] communicauerit: cauſam dicito. Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minus dixerit, à communione excluditor, tanquam qui populo author offenſionis fuerit, mota contra [q] eum ſuſpicione qui obtulit.

[f] ſicera eſt quidquid ſine vino inebriat, Balſam.

9 Quicumque fideles *eccleſiam* ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque apud preces [r] & ſanctā communionem permanent [ſ], eos tanquam qui ordinis in eccleſia perturbationem inducant, à communione arceri oportet [t].

10 Si quis cum [a] excommunicato [b], licèt in domo, preces [c] coniunxerit: iſte communione priuator.

11 Si quis cum depoſito clerico vt [d] cum clerico preces coniunxerit, deponitor & ipſe.

[a] *adde d.can. 2.inf.*

[b] Excommunicatio Græcis ἀνακοινώνησις, ſequeſtratio.

12 Si quis clericus, aut laicus à communione ſegregatus, ſeu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus ciuitatem, ſine cōmendatitiis [c] literis receptus fuerit: à communione excluditor tam qui receperit, quā qui receptus eſt. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditor.

13 Epiſcopo, qui [f] parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire [g] nefas eſto, licèt à pluribus [h] ad hoc compellatur: niſi rationabilis aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat, nempe quòd plus lucri & vtilitatis his qui illic conſtituti ſunt, verbo pietatis conferre poſſit. neque hoc tamen à ſe ipſo, ſed multorum epiſcoporum iudicio, & exhortatione maxima.

[c] *Can.14.ſyn. Sardicenſ.cā. 9.ſynod. Carthagin.* colloqui tamen excommunicato nemo prohibetur *Balſam.hîc.*

14 Si quis presbyter, aut diaconus, aut quicumque tandem de clericorum conſortio, relicta parochia ſua, in aliam conceſſerit, & omnino tranſmigratione facta præter voluntatem [i] ſui epiſcopi in alia parochia moram traxerit: hunc iubemus, ne porrò in miniſterio publico ſit eccleſiæ, maximè ſi [k] accerſente ipſum epiſcopo eius redire contemnat. peruerſo illic ordine perſeuerans, vt laicus tamen ibi locorum in communionem admittitor.

[d] id eſt quidpiam clericale & ſacerdotale agenti: & ita Balſamon intelligit. Nam ex eo (inquit) quod quis cum aliquo excommunicato precatus fuerit non affertur depoſitio, ſed excōmunicatio.

15 Quòd ſi epiſcopus [l], ad quem acceſſerint, pro nihilo reputata vacationis à miniſterio eccleſiaſtico pœna, quæ contra eos definita eſt, ipſos vt clericos ſuſceperit: à communione excluditor, vt peruerſi ordinis magiſter.

16 Qui poſt [m] baptiſmum duabus [n] implicitus fuit nuptiis, aut concubinam [o] habuit: is epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique in conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

17 Qui viduam [p] duxit, aut diuortio ſeparatam à

[g] de oblationib. vide Duarenum 7. *de benef.3. Vigelium 3.meth.iur.Pontificij* 13. Oblationem pro defunctis Græci κανίσκια vocant *Balſam.hic.* [h] deeſt huius capitis initium apud Balſamonem. [i] ἀπαρχὰς τῶν ἄλλων ὀπωρῶν Græci vocant. Paulus ἀκροθίνια & aurea bulla Nicephori. De primitijs vide Duarenum 7. *de beneficijs* 2. Rebuffum *in tractatus de decimis quæſt.1.num.*17. Vigel.3. *method. Pont.* 13. [k] inter quos & à quibus primitiæ diuidebantur. [l] *v.diſtinct.* 28. *c. ſi quis.c.13.ſynodi in Trullo.* [m] κοσμικὰς. adde can. 80.j. [n] niſi ceſſet. *d.c.*80. [o] idque more Iudaico. Iubet ergo Canon, Paſcha celebrari poſt XIIII. lunæ primi menſis, id eſt Marcij *v.c.76. Concilij Carthaginenſis, & ibid.* Balſamon. [p] De pœna epiſcopi, presbyteri & Diaconi communioni adſtantis, nec tamen cōmunicantis. [q] Hæc verba ſatis indicant hîc agi de epiſcopis, presbyteris, diaconis & ſimilibus perſonis offerenti non communicantibus. Videntur enim recuſantes communionem, offerentem in ſuſpicionem aliquam trahere. *huc facit Can.2.ſynodi Antioch.* [r] quæ fiunt in ſancta celebratione. Balſamon. *c. 2. ſynod. Antioch.* negat hoc caput pertinere ad veſpertinas & matutinas laudationes. [ſ] De laicis precibus & communioni adſtantibus, & ad finem vſque non permanentibus *v.d. Can.2.ſynod. Antioch.* [t] Communicationis loco excogitatum fuit ἀντίδωρον, ad eorum vtilitatem qui ſanctorum myſteriorum participes eſſe non poſſunt: vt Antidoro de manu ſacerdotis accepto ad finem vſque communionis perſeuerarent. *Balſam.ad d.c.2.*

ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν. Canonicarum epiſtolarum aliæ ſunt συστατικαὶ, aliæ εἰρηνικαὶ ſiue ἀπολυτικαί. Συστατικὰ γράμματα, *hic & can.32.j. & can.11.ſyn. Chalcedonenſ. & Arriano in Epicteto* teſtimoniales literæ dicuntur. dantur propriè ſeparatis à communione, ignotis, ſuſpectis, reis poſtulandis quibus abſolutio declaratur. vel apertius, συστατικαὶ ſunt probatoriæ quæ & formales dicuntur. *c.23.ſynod.Carth.* vt formales epiſtolæ Suetonio. Quæ & εἰρηνικαὶ ſiue ἀπολυτικαὶ dicuntur. dantur epiſcopis in comitatum principis, vel clericis in aliā ciuitatem euntibus *Chalced.c.11. Antioch.c.7.l.8. & ſext.ſynod.in Trullo c.17.* ὡς εἰρήνην βραβεύουσαι. Quarum vſum frequentem apud Chriſtianos Nanzianzenus notat contra Iulianū his verbis ἐν ἐπιστολιμαίοις συνθήμασιν οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν *v. Cuiacium ad Nouell. Iuſtin.6.c.3. Gerardum Rodolphum Grauienſem lib.de literis canonicis, formatis, pacificis, commendatitijs ac dimiſſorijs quibus in Eccleſia primitiua ſancti patres vſi ſunt.* [f] *Canon.16. ſynod.Nicen.* [g] quo verbo Balſamon tranſlationem quæ fit iuſtis de cauſis non intelligit, niſi quis, inquit, vellet reprehendere Gregorium Theologum & alios, qui ex epiſcopatibus tranſlati ſunt in ſedem Conſtantinopolitanam & alias ſedes patriarchales. [h] Quid ſi cui permittatur ab Imperatore extra ſuam diœceſim σημειῶσαι? rectè id permitti ait Balſamon. [i] eiuſque dimiſſoriam *can.17.ſynod.in Trullo.* [k] *v. Canon.3. ſynod. Antioch.* [l] Balſamon excipit Conſtantinopolitanum & Carthaginenſ. [m] Cur ita? quia inquit Balſamon omnia peccata per baptiſmū eluuntur. [n] δίγαμος *adde diſt.33.c.ſi quis poſt l.3.§.4.C.de ſum.trinit.* [o] παλλακήν. id eſt pellicem, *vt Nouell.137.c. 2.adde Photium 9.Nomocan.29.* [p] *v.d.c.2.diſtinct.34.c.ſi quis viduam.*

viro,aut meretricem,aut ancillam, aut aliquam,quæ publicis mancipata ſit ſpectaculis:epiſcopus,aut presbyter, aut diaconus,aut denique ex conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

18 Qui duas [a] ſorores duxit,aut conſobrinam [d],clericus eſſe non poteſt.

19 Clericus qui fideiuſſores [c] dat,deponitor.

20 Si quis humana violentia [d] eunuchus factus eſt, aut in perſecutione amputata ei ſunt virilia,aut ita natus fuit,& dignus eſt:efficitor *epiſcopus*.

21 Qui ſibi [e] ipſi virilia amputauit,clericus non efficitor:ſui enim ipſius homicida eſt,& inimicus creationi Dei.

22 Si quis cùm clericus eſſet,virilia [f] ſibi ipſi amputauerit,deponitor:homicida etenim ſui ipſius eſt.

23 Laicus,qui ſeipſum [g] mutilauit,per tres annos à communione eiicitor.puta, quia ipſe vitæ ſuæ poſuit inſidias.

24 Epiſcopus, aut presbyter,aut diaconus in fornicatione [h], aut periurio [i], aut furto deprehenſus, deponitor,non tamen à communione excluditor. Dicit enim ſcriptura [k], Bis [l] de eodem delicto vindictam non exiges. Eidẽ conditioni cõſimiliter & reliqui clerici ſubduntor.

25 Ex [m] his qui cœlibes in clerum peruenerunt iubemus, vt lectores tantùm & cantores(ſi velint)nuptias cõtrahant.

26 Epiſcopum,aut presbyterum, aut diaconum,qui vel fideles delinquentes,vel infideles iniuriam inferentes percutit [n],& terrorem ipſis per huiuſmodi vult incutere, deponi præcipimus. nuſquam enim Dominus hoc nos docuit.Imò verò cõtrà, cum ipſe percuteretur, nõ repercutiebat:cùm laceſſeretur conuiciis, non regerebat conuicium:cùm pateretur,non comminabatur.

27 Si quis epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus,ob certa crimina iuſtè depoſitus [o], attingere miniſterium, quod aliquando tractauerat,auſus fuerit:omnino hic ab eccleſia abſcinditor.

28 Si quis epiſcopus,aut presbyter, aut diaconus,pecuniæ [p] interuentu hanc dignitatem nactus fuerit:deponitor tam ipſe,quàm qui eum ordinauit,& omnino à cõmunione abſcinditor,quemadmodum Simon [q] Magus a me Petro.

29 Si quis epiſcopus ſecularium magiſtratuum familiaritate vſus, per [r] ipſos eccleſiam nactus fuerit: deponitor.ſegregantor quoque à communione,quicumq; cum ipſo communionem habent.

30 Si quis presbyter proprium aſpernans epiſcopũ, ſeorſim conuenticula [s] egerit, & altare erexerit, cum de nullo crimine epiſcopum in pietate ac iuſtitia condemnauerit:deponitor,quaſi qui principatum ambiat.tyrannus enim eſt.Conſimiliter & reliqui clerici,qui ſuum illi calculum apponunt.Laici verò à communione ſegregantor. Atque hæc poſt vnam,& item alteram ac tertiam epiſcopi exhortationem fiunto.

31 Si quis presbyter, aut diaconus , per epiſcopum à communione excluſus ſit:hunc neutiquam ab [t] alio fas eſto ſuſcipi,quàm ab eo qui ipſum à communione excluſit,niſi fortè fortuna epiſcopus,qui ipſum à communione ſegregauit,defunctus ſit.

32 Nemo peregrinorum epiſcoporum , aut presbyterorum,aut diaconorum, ſine commendaticiis [u] ſuſcipitor literis:& ſi eas obtulerit , attentius in diſquiſitionẽ vocantor.Et quidẽ ſi prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor:ſin minus , vbi neceſſaria ipſis ſuppeditaueritis, ad communionem & vlteriorẽ ipſos conſuetudinem nõ admittitote.multa enim per obreptionem fiunt.

33 Cuiuſque gentis epiſcopos oportet ſcire quinam inter ipſos primus [x] ſit,haberéque ipſum quodammodo pro capite, neque ſine illius voluntate quidquam agere inſolitum.illa autem ſola quemque pro ſe tractare, quæ ad parochiam eius,& loca ipſi ſubdita attinẽt. Sed neque ille citra omnium voluntatem aliquid facito. Ita enim concordia erit,& Deus glorificabitur per Dominum in ſancto ſpiritu.

34 Epiſcopus extra [y] terminos ſuos,in ciuitatib.& regionib.ſibi non ſubiectis,ordinationes facere non præſumito.Si verò prę̨ter voluntatem eorum qui ciuitates illas aut regiones detinent,id feciſſe conuictus fuerit,deponitor tam ipſe,quàm etiam hi quos ordinauit.

35 Si quis ordinatus epiſcopus miniſterium & curã populi ſibi commiſſam nõ [z] ſuſceperit:hic à communione ſeiunctus eſto tam diu, donec ſuſceperit:[*obedientiam accomodans. Similiter autem & presbyter & diaconus.*] Si verò non præ voluntate ſua , ſed præ [a] malitia populi non ſuſceperit,maneto ipſe quidẽ epiſcopus: clerus verò eius ciuitatis à communione ſegregator, eo quòd tã inobedientem populum non corripuerit.

a V. epiſtolam Baſilij ad Diodorum, de eo qui duas ſorores duxit in matrimoniũ V. quæ dixi ad leg. 8. Cod. de inceſt. nupt.
b ἡ ἀνεψιὰν quæ Græcis ἀδελφίδη etiam dicitur adde l. 19. Co. de nupt.
c Nouell. Iuſt. 123. c. 6. V. Nouell. Leonis 96. adde c. 30. in f. ſyno. Carthag.
d V. Photium 1. Nomocan. 14. Nou. Leonis 60. diſtin. 33. c. Eunuch.
e can. 22. 23. ſ. eo. can. 1. ſyn. Nicenæ.
f V. can. 21. ſ. eod.
g can. 21.
h diſtinct. 50.
i V. Nou. Leo. 76. Phot. 13. Nomocan. 18. Baſil. can. 10. &c.
k Nahumi 1. Verſ. 9.
l V. l. 57. ff. de reg. iur. ca. 83. de re. iu. in 6.
m hoc innuit, ſolis lectoribus & cantoribus poſt ordinationem cõcedi vxorem ducere.
n V. tit. extra de cler. percuſſor. 3. Ecl. 3. c. 23.
o can. 4. 12. 15. ſyn. Antioch. c. 4. ſyn. Sard. 6. quæſt. 4. ca. Oſius epiſcop. dixit.
p l. 42. §. 9. Co. de epiſc. Nou. Iuſti. 123. c. 16. & Nou. 137. c. 2. inf. can. 6. ſynod. Chalcedonenſ.
q act. 8. Ver. 18.
r Nou. 123. ca. 16. & 137. c. 2. inf.
s V. l. 15. Co. de epiſcop.
t V. c. 12. ſ. eo.
u dixi ad d. c. 12. ſ.
x de gradib. epiſcop. V. Nou. Iuſt. 137. c. 2. 3. 4.
y can. 13. et 22. ſyno. Antioc.
c. nullum c. epiſcopum 9. quæſt. 2. z c. 17. 18. ſyno. Antiochen. diſt. 92. c. ſi quis epiſcopus ordinatus, & c. 3. epiſt. Cyrilli ad Domnum.

36 Bis [b] in anno epiſcoporum celebrator ſynodus, & pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocanto, neque non in eccleſiis incidentes contradictiones dirimunto:ſemel quidem quarta feria Pentecoſtes, ſecundo duodecima Hyperberetæi. [c]

37 Omnium [d] rerum eccleſiaſticarum curam epiſcopus gerito,& eas diſpenſato quaſi inſpectãte Deo. Non licitum autem ei eſto quippiam ex iis ſibi tanquam proprium aſſumere aut cognatis [e] ſuis elargiri , quæ Deo dedicata ſunt. Quòd ſi pauperes illi ſint:vt pauperibus ſubminiſtrato,non tamen horum prætextu res eccleſiæ venundato.

38 Presbyteri & diaconi,abſque [f] voluntate epiſcopi nihil peragunto.ipſius enim fidei populus Domini commiſſus eſt & pro eorum animabus ab ipſo repetetur ratio.

39 Manifeſtæ [g] ſunto priuatæ res epiſcopi, (ſi modo & priuatas habet) manifeſtæ itẽ ſunto Dominicæ:vt priuatas quidem res epiſcopus, cùm moritur, quibus vult, & quomodo vult,relinquendi facultatem habeat:neque occaſione eccleſiaſticarum rerum intercidant res epiſcopi, qui nonnunquam vxorem & liberos , aut cognatos , aut ſeruos habet.Iuſtum eſt enim apud Deum pariter & homines, ſimul ne eccleſia per ignorationem rerum epiſcopi damni aliquid ſuſtineat, ſimul ne epiſcopus aut cognati eius prætextu eccleſiæ oblædantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt,incidant in negotia, eiúſque mors implicetur diffamationibus.

40 Præcipimus [h],vt epiſcopus res eccleſiæ in poteſtate habeat [i]. Nam ſi precioſæ hominum animæ fidei eius committendę ſunt,multò vtique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare,vt illius arbitratu diſpenſentur,neque non cum timore Dei ſummáque ſollicitudine per presbyteros ac diaconos [k] erogentur in pauperes. Percipiat autem & ipſe(ſi modò indiget)quantum ad neceſſarios ſuos,& hoſpitio exceptorum fratrum vſus opus habet,ne quo modo ipſe poſteriore loco habeatur quam cæteri.Ordinauit enim lex [l] Dei,vt qui altari inſeruiunt, [m] de altari nutriantur: quando nec milites vnquam ſuis ſtipendiis arma hoſtibus inferant.

41 Epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus , qui vel aleæ, [n] vel ebrietatibus [o] indulget : vel deſinito,vel deponitor.

42 Subdiaconus,aut cantor,aut lector, qui conſimilia facit:vel deſinito,vel à communione ſeiungitor: ſimiliter & laici.

43 Epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus,qui vſuras [p] à mutuũ accipientib.exigit:vel deſinito,vel deponitor.

44 Epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus, qui cum hæreticis preces [q] coniunxerit,duntaxat à communione ſuſpenditor. Si verò etiam ipſos tanquàm clericos aliquid agere permiſerit,deponitor.

45 Epiſcopum,aut presbyterum , qui hæreticorum baptiſma,aut ſacrificium ſuſceperit,deponi præcipimus. Quæ etenim conuentio inter Chriſtum [r] & Belial ? aut quæ particula fideli cum infideli.

46 Epiſcopus,aut presbyter ſi eum qui verum baptiſma habeat,iterum [s] baptiſauerit,aut pollutum ab impiis non baptiſauerit,deponitor:vt qui crucem & mortem Domini derideat, neque diſcernat veros ſacerdotes à ſacerdotibus impoſtoribus.

47 Si quis laicus cum ſuam à ſe vxorem abiicit,alteram duxerit,aut ab alio dimiſſam [t]:a communione ſegregator.

48 Si quis epiſcopus,aut presbyter ſecundum ordinationem Domini non baptiſauerit in patrem & filium & ſpiritum ſanctum,ſed in [u] tres principio carentes, aut tres filios,aut tres paracletos:deponitor.

49 Si quis epiſcopus,aut presbyter,in vna initiatione non tres [x] immerſiones,ſed vnam [y] duntaxat , quæ in mortem Domini detur,peregerit:deponitor. Non enim dixit Dominus, In mortem meam baptiſate:ſed, Profecti docete omnes gentes,baptiſantes eos in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti.

a de epiſcopis qui à ſuis parochiis nõ ſuſcipiuntur c. 18. ſyn. Ancyrana.
b Nouell. 123. c. 10. Nou. 137. c. 4. can. 5. ſyn. Nicenæ: diſti. 14. ca. habeatur ſane.
c Octobris.
d V. tit. de epiſcopali audientia.
e Nouell. Iuſt. 120. c. 5. Nou. 131. c. 3.
f Presbyteri atque diaconi ſubſunt epiſcopo.
g 11. quæſt. ca. ſint manifeſtæ l. 20. l. 34. C. de epiſc. V. Phot. 10. Nomocan. 5.
h 12. quæſt. c. præcipimus.
i V. ac. 6. nu. 2.
k V. quæ dixi ad No. 123. c. 3.
l 1. Corinth. 9 Verſ. 13.
m ὑπηρετοῦντας. Balſamon legit προσεδρεύοντας Paulus dixit ἐργαζόμενος 1. Corint. 9. Ver. 13.
n dixi ad Nou. 123. c. 10. V. Nouel. Leon. 87. adde Photiũ. 9. Nomocan. 27. & 13. c. 29. diſt. 35. c. epiſcop. aut presbyter.
o V. Photium 9. Nomocan. 35. & d. c. 29. adde c. 9. ſyno. in Trullo.
p can. 17. ſyno. Nicenæ. V. Phot. 9. Nomocan. 27. & ibi. Balſamon id ita interpretatur, quaſi non liceat epiſcopis vſuras nõ petere ex pacto, ſed ex mora, aut tanquã intereſſe can. 10. ſynod. in Trullo can. 5. ſyn. Carthag.
q V. Can. 10. ſ. eo. adde 2. Iohã. Epiſt. Tit. 3. Rom. 16. Galat. 1.

r Beliali cum Chriſto nulla communio. s V. tit. C. ne ſanctum baptiſma. t de conſecratione diſt. 4. ſi quis presbyter. u de formula baptiſmi. x de trina immerſione in baptiſmo. y Vna tantum immerſione in domini mortẽ non eſſe baptiſandum.

50 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut quiuis omnino de ſacerdotali conſortio, nuptijs [a], & carnibus, & vino [b] abſtinuerit: non [c] propterea quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, ſed propter abominationem: [d] oblitus, quòd omnia [e] pulchra valde, & quod maſculum & fœminam Deus creauit hominem, ſed diffamationibus laceſſens creationem Dei vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor, & ex eccleſia reijcitor. Conſimiliter & laicus.

51 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, eum qui à peccato reuertitur [f], non recipit, ſed reijcit: deponitor, eo quod Chriſtum offendat, qui dixit, ob vnum peccatorem, qui reſipiſcat, gaudium oboriri in cœlo.

52 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus carnibus [g] & vino feſtiuis diebus non vtatur, idq́; per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitor: tanquam qui cauterio notatam habeat conſcientiam, & multis author ſit offendiculi.

53 Si quis clericus in caupona [h] cibum capere deprehenſus fuerit, à communione excluditor: excepto tamen eo, qui neceſſario in itinere in commune diuerterit hoſpitium.

54 Si quis clericus epiſcopum contumelia affecerit, deponitor: principi enim populi tui non [i] maledices.

55 Si quis clericus contumelia affecerit preſbyterum, aut diaconum: à communione ſegregator.

56 Si quis mancum aut mutum ſurdúmve, aut cęcum, aut eum cui vitioſus [k] inceſſus eſt, ſubſannauerit: cōmunione priuator. conſimiliter & laicus.

57 Epiſcopus, aut preſbyter, qui negligentius [l] circa clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit, à communione ſegregator. Si verò in ea ſocordia perſeuerauerit, deponitor.

58 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, clerico ex inopia laboranti neceſſaria non ſuppeditauerit, à communione reijcitur. ſin perſeuerat, deponitor, vt qui fratrem ſuum necauerit.

59 Si quis falſo inſcriptos impiorum [m] libros, tāquam ſacros in eccleſia ad populi & çleri corruptionem publicauerit: deponitor.

60 Si accuſatio contra fidelem inſtituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacumq; alia actione prohibita, & conuictus [n] fuerit: in clerum non perducitor.

61 Si quis clericus per metum [o] humanum, vel Iudæi, vel Græci, vel hæretici, negauerit, ſiquidem nomen Chriſti, *ab eccleſia* reijcitor: ſi verò nomen clerici, deponitor. pœnitentia tamen ductus, vt laicus recipitor.

62 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut omnino quicumq; ex ſacerdotali conſortio, comederit carnes in ſanguine [p] animæ eius, aut à beſtijs [q] abreptum, aut ſuffocatum: deponitor. hoc enim lex prohibuit [r]. Sin verò laicus fuerit: à communione excluditor.

63 Si quis clericus, aut laicus, ſynagogam [s] Iudæorum, aut hæreticorum conuenticulum ingreſſus fuerit, vt preces [t] cum illis coniungat: deponitor, & à communione ſecluditor.

64 Si quis clericus in concertatione aliquem pulſauerit [u], & vno ictu ac pulſatione interemerit, deponitor, propter temeritatem ſuam. Sin vero laicus ſit, arcetor à communione.

65 Si quis Dominicum [x] diem, aut Sabbatum [y], vno [z] ſolo dempto, ieiunare deprehendatur: deponitor. ſin laicus, è communione eijcitor.

66 Si quis virginem ſibi non deſponſatam [a] admota vi [a] detinet: à communione ſuſpenditor. Non licitum autem eſto ei aliam ducere, ſed eam detineto, quam ſollicitauit, quamuis paupercula ſit.

67 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, ſecundam ab aliquo ordinationem ſuſceperit: deponitor tam ipſe, quàm qui ipſum ordinauit: niſi fortè conſtet ordinationem eum habere ab hæreticis. Qui enim à talibus baptizati [b], aut ordinati ſunt: hi neque fideles neque clerici eſſe poſſunt.

68 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor ſacram quadrageſimam [c] Paſchæ, aut quartam feriam, aut paraſceuen non ieiunauerit, deponitor: præterquam [d] ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laicus ſit, communione priuator.

69 Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut omnino quicumque ex clericorum conſortio cum Iudæis [e] ieiunauerit, aut communem feſtum diem cum ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azyma, aut aliud huius generis, ab eis ſuſceperit, deponitor: ſi laicus, à communione ſegregator.

70 Si quis Chriſtianus oleum [f] ad ſacra gentilium, aut in ſynagogam Iudæorum in feſtis eorum detulerit, aut lucernas incenderit: à communione excluditor.

71 Si quis clericus, aut laicus, ceram aut oleum ex ſancta ſurripiat eccleſia: à communione ſeiungitor.

72 Vas aureum & argenteum ſanctificatum, aut velamen [g] linteúmve, nemo amplius in ſuos vſus aſſumito. iniquum enim eſt. Cæterum ſi quis deprehenſus fuerit, excommunicatione mulctator.

73 Epiſcopum de aliquo per fide dignos accuſatum [h] homines, ab epiſcopis vocari neceſſarium eſt. Et ſi quidem comparuerit, & confeſſus conuictúſve fuerit, cenſura irrogator eccleſiaſtica. Si vero vocatus non obtemperauerit, ſecunda [i] quoque vice vocator, miſſis duobus ad ipſum epiſcopis. Quod ſi per contumaciam [k] ne ſic quidem comparuerit: ſynodus ſuam contra ipſum pronunciato ſententiam, ne quid tergiuerſando detrectandoq́ue iudicium lucri facere videatur.

74 In dictionem teſtimonij contra [l] epiſcopum hæreticus [m] non admittitor. ſed neque fidelis, ſi ſolus ſit. In ore enim duorum aut triū teſtium conſiſtet omne dictum.

75 Item non oportet epiſcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato, humano gratificari affectu. [n] neq; enim eccleſiam Dei conferre debet in hæredes. Enimuero ſi quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio: ipſe autem excommunicatione percellitor.

76 Si qui oculo [o] defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, epiſcopus efficitor. non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.

77 Qui verò mutus [p], ſurdúſve & cæcus eſt, epiſcopus non efficitor: non quia oblæſo corpore eſt, ſed ne eccleſiaſtica impediantur munia.

78 Si quis dæmonem [q] habeat, clericus non efficitor: ſed neq; cum fidelibus preces fundito. Mundatus verò recipitor: & ſi dignus fuerit, efficitor.

79 Qui ex vita gentili aduenerit, & baptizatus eſt, aut ex conuerſatione praua: iuſtum non eſt eum protinus [r] promoueri in epiſcopum. Iniurium enim eſt, eum qui prius [s] non ſpecimen & documentum de ſe præbuerit, aliorum doctorem exiſtere, niſi alicubi dono diuinæ gratiæ hoc fiat.

80 Dicimus, quòd non oporteat epiſcopum aut preſbyterum publicis [t] ſe adminiſtrationibus immittere: ſed vacare & commodum ſe exhibere vſibus eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, iuxta præceptum Dominicum.

81 Serui [u] ſi in clerum promoueantur citra dominorum voluntatem, hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando verò ſeruus quoq; gradus ordinatione dignus videatur, qualis & noſter [x] Oneſimus apparuit, & domini

[a] 1. *Corinth.* 7. *Verſ.* 5.

[b] De promiſcuo ciborū vſu V. *Lucam* 19. 1. *Corinth.* 10. *Coloſſ.* 2. de eorum abſtinentia certo fine V. 1. *Cor.* 9. *Verſ.* 19. & *c.* 10. *Verſ.* 23. de tolerandis in eo infirmis. V. *Rom.* 14. *Verſ.* 1.

[c] 1. *Timoth.* 5. *Verſ.* 19.

[d] *c.* 52. ſ.

[e] 1. *Timoth.* 4. *Verſ.* 1. & *ſeq.* vt & quondā Bogomili *Balſam. hic* *Hebr.* 13.

[f] Pœnitenti parcitur. *Nouell.* 18. *c.* 8. *l. vlt. in fi. Cod. de ſumma trinitate: Nou.* 109. *c.* 2. *adde cap.* 8. *Synod. Laodic. adde canon.* 7. *Synod. Carthag.* 26. *quæſt.* 6. *c. Aurelius.*

[g] V. *cap.* 50. ſ. *eo. adde c.* 14. *Ancyranæ:* V*bi de Bogomilorum ieiunio.*

[h] *can.* 24. *infi. ſynod. Laodic.* & *can.* 42. *ſynod. Carthaginen. diſtin.* 43. *c. clerici.*

[i] *Exod.* 22. *Verſ.* 28. *Act. apoſt.* 23. *Verſic.* 5.

[k] *Eſdras* 2. *Verſ.* 21. *adde canon.* 76. ſ.

[l] Canes mutos intelligit, ventres pigros, de quibus V. *Epiſtol. ad Tit.* 2. *Verſ.* 12. [l] Epiſcopus diſpenſator pauperum. [m] De libris impiorum non legendis, V. *Photium* 12. *Nomocan.* 3. *can.* 63. *ſynod. in Trullo.* vbi confictæ martyrum hiſtorię prohibentur *adde quæ ſcripſi ad l.* 6. §. 1. *C. de hæreticis.* [n] Criminis alicuius conuictus, clericus eſſe non poteſt. ſic ad Diaconatum promouendi ἀνέγκλητοι. 1. *Timoth.* 3. *Verſ.* 10. eligendus enim epiſcopos ἀνεπίληπτος *ibid. Verſ.* 2. *l.* 42. *C. de epiſcop. l.* 34. *C. de epiſcop. aud. Nouell.* 6. *c.* 1. [o] de pœna eius qui per metum negauit nomen Chriſti vel clerici. [p] id eſt, ſuffocata & morticina. *Leuit.* 7. *Actor.* 15. *adde quæ dixi ad Nouell. Leon.* 58. *de interd. eſu ſanguinis.* [q] nota de eſu carnis à beſtijs abreptæ interdicto. [r] *Deut.* 22. [s] Chriſtus & Apoſtoli in Iudæorum ſynagogam ingreſſi. [t] adde *Canon.* 10. 11. 44. ſ. *eod. adde c.* 51. *ſynodi in Trullo* 28. *quæſt.* 1. *ca. Nullus.* [u] V. *canon.* 26. ſ. *eod.* V. *Photium* 9. *Nomocan.* 26. [x] ſeu reſurrectionis. Dominico die ieiunari prohibet ſynodus Gangrenſis *c.* 18. *adde can.* 15. *Petri Alexandrini.* [y] Sabbatho non ieiunatur, ne quis Iudæos videatur imitari. [z] nempe magno Sabbatho, quo Domini corpus exanime in ſepulchro iacuerat. [a] de raptu ſponſæ alterius V. *canon.* 11. & 25. *ſynod. Ancyr. adde epiſtolam Gregorij Thaumaturg. in princ.*

[a] de ijs qui gratia matrimonij mulieres rapiunt V. *Phot.* 9. *Nomocan.* 30. *canon.* 93. *ſynod. in Trullo: ca.* 27. *ſyno. Chalcedon.* 36. *qu.* 2. *cap. eos qui rapiunt.*

[b] *adde canon.* 46. ſ.

[c] de quadrageſimali ieiunio V. *l.* 6. *Co. de ferijs. Photium* 7. *Nomocanon.* 1: *can.* 49. *ſynod. Laodic. canon.* 29. 52. 55. 56. 90. *ſyno. in Trull.*

[d] Imbecillitatis cauſa ieiunium eccleſiæ pōt omitti. aliàs nō licet *c.* 19. *ſyno. Carthag. diſt.* 30. *c. ſiquis per ſuperbiam.*

[e] More iudaico, aut cum Iudæis non ieiunandum. facit *can.* 29. *ſynod. Laodi.*

[f] Oleo vtebantur gentiles in templis *l.* 5. §. 12. *ff. de donation. inter vir.*

[g] Veli nomine, ſeu ὀθόνης quidq̃d textile ſignificat.

[h] *dixi ad Nouell.* 137. *ca.* 3. *adde Photiū* 9. *Nomocan.* 1.

[i] Epiſcopi vt fiant contumaces.

[k] Contumax epiſcop⁹ damnari poteſt.

[l] Quot & qui aduerſus epiſcopos teſtificētur V. *Photium* 9. *Nomocan.* 2: *canon.* 21. *ſyno. Chalced. cano.* 31. *ſynod. Carthagin.* 2. *quæſt.* 6. *c. placuit preſbyteris* 2. *q.* 7. *c. clericos.* [m] Hæreticus in epiſcopum teſtis eſſe non debet. [n] qua in re εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς ὃν βούλεται χειροτονεῖν: ita legit Balſamon, cui conuenit can. 23. *ſyn. Antioch.* 8. *q.* 1. *c. epiſ. non licuit.* [o] luſcus ſeu ἑτερόφθαλμος, aut claudus, epiſcopus eſſe pōt. [p] Mutus aut ſurdus non poteſt in epiſcopatum eligi. [q] ὁ δαιμονῶν οὐ κληροῦται. *Vt hic:* nō tamē priuatur cōmunione *can.* 3. *epiſt. Tim. Alex.* [r] aliud eſt, prohiberi νέον fieri epiſcopum: aliud νεόφυτον. hic recenter Chriſtianiſmo cōplantatur. [s] V. *quæ dixi ad Nou.* 137. *c.* 1. [t] *c.* 6. ſ. *eod. can.* 16. *ſynod. Carthagin.* V. *Phot.* 8. *Nomocon.* 13. *Nou. Leon.* 86. *l.* 52. *C. de epiſc.* [u] *De ſeruis qui fiunt clerici.* V. *l.* 37. *l.* 38. *C. de epiſcop. Nou.* 123. *c.* 17. *adde Nou. Leon.* 9. 10. 11. V. *Phot.* 1. *Nomocan.* 36. [x] Poteſt ex hoc loco argumentum duci, hoſce canones Apoſtolorum eſſe. fit enim mentio Oneſimi in epiſtola ad Philemonem. *Verſ.* 10.

conſenſerint, manuque miſerint, & domo ſua ablegauerint: efficitor.

82 Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, qui militiæ [a] vacauerit, & ſimul vtrumque retinere voluerit, tam officium Romanum, quam functionem ſacerdotalem: deponitor. Quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo.

83 Quiſquis Imperatorem [b], aut Magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito. & quidem ſi clericus ſit, deponitor: ſi laicus, à communione remouetor.

84 Sunto omnibus vobis, clericis ſimul & laicis, venerandi [c] ac ſacri libri: veteris quidem Teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Ieſu filij Naue vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regnorum quatuor, Derelictorum ex libro dierum duo, Heſter vnus, De Machabæorum geſtis tres, Iob vnus: Pſalterium vnus: Solomonis tres, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum: Prophetarum duodecim, vnus Eſaiæ, Hieremiæ vnus, Iezechiel vnus, Daniel vnus. In qui ritor autem à vobis extrinſecus, vt adoleſcentes veſtri addiſcant item Sapientiam eruditi Syrach. Noſtra verò, hoc eſt Noui Teſtamenti, Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Pauli Epiſtolæ quatuordecim, Petri Epiſtolæ duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis epiſtolæ duæ, & præceptiones, quæ vobis epiſcopis per [a] me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt, quas omnibus publicare non oportet, ob quædam arcana quæ in ſe continent: Et actiones noſtras apoſtolorum.

[a] vel militaribus cõmunitatibus Balſam.
[b] adde *canon. 54. s. eo. tit. Si quis Imperatori maledixerit: Photium 9. Nomo can. 36. adde 25. act. apoſt. verſ. 5.*
[c] σεβάσμια καὶ ἅγια βιβλία.

[a] Colligere hinc poſſis Clementem horum canonum authorem fuiſſe: qua de re dicere propter temporis breuitatem ſuperſedeo.

Canonum Sanct. Apoſtolorum

FINIS.